

EPISTULA LEONINA

CXXXVII

HEBDOMADALE
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETTIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **G R A T I S** ET **S I N E ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CXXXVI** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM TRICESIMAM SEPTIMAM (137) !

ARGUMENTA

1. IUS IURANDUM HIPPOCRATICUM	03-04
2. »NEQUE MEDICAMENTUM LETALE ...« (<i>Steinmann</i>).....	05-09
3. VINNETUUS (IV) (<i>Karl May</i>)	10-20
4. MNEMOSYNE A PLATONE ET BRUNONE EXPLICATA (<i>Teresi</i>).....	21-23
5. ECHUS VOCES (<i>Cristini, Tekieli, Plantiko, Häberle</i>).....	24-28

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.

Cara Lectrix, Care Lector,

maximē gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam tricesimam septimam.

*Tibi hanc Epistulam perlustraturo plurimum commendo **Ius iurandum Hippocratis** necnon ea, quae de illo scripsit **Kurt Steinmann** Helvetius philologus praeclarus, cuius nomen cum ceteris tum praecipue novâ versione Odysseae theodiscâ excellentissimē confectâ mirum in modum percrebruit.*

*Praeterea tibi suadeo, ne praetermittas **Vinnetuum indianum heroicum** a **Carolo May** Saxone somniatore mirabiliter creatum et disquisitionem **Iohannis Teresi** mnemotechnicam necnon epistolia lectorum humanissimorum, quibus nomina sunt **Marcus Cristini, Stanislaus Tekieli, Claus Plantiko, Markus Häberle**...*

*Quae cum ita sint, hanc Epistulam Leoninam 137 tolle et lege et laetare et ... **pancraticē vale et perge mihi favere!***

Medullitus Te salutat
Nicolaus Groß



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS
Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
die Saturni, d. 15. m. Iul., a.2017



HIPPOCRATES

(460 – 370 a.Chr.n.)

Οὐ δῶσω δὲ οὐδὲ φάρμακον
οὐδενὶ αἰτηθεὶς θανάσιμον,
οὐδὲ ύφηγήσομαι
ξυμβουλίην τοιήνδε.

*i.e. Latine: Neque cuiusquam precibus adductus alicui medicamentum letale propinabo,
neque huius rei auctor ero.*

Hippocratis iusiurandum

GRAECE ²	LATINE ¹
<p>Ὄμνυμι Ἀπόλλωνα ἵητρὸν, καὶ Ἀσκληπιὸν, καὶ Ύγείαν, καὶ Πανάκειαν, καὶ θεοὺς πάντας τε καὶ πάσας, ἵστορας ποιεύμενος, ἐπιτελέα ποιήσειν κατὰ δύναμιν καὶ κρίσιν ἔμήν ὄρκον τόνδε καὶ ξυγγραφὴν τῆνδε.</p>	<p>Per Apollinem Medicum, et Aesculapium, Hygiamque et Panaceam iurejurando affirmo et Deos Deasque omnes testor, me quantum viribus et iudicio valuero, quod nunc iuro, et ex scripto spondeo plane observaturum.</p>
<p>Ἡγήσασθαι μὲν τὸν διδάξαντά με τὴν τέχνην ταύτην ἵσα γενέτησιν ἐμοῖσι, καὶ βίου κοινώσασθαι, καὶ χρεῶν χρηζίζοντι μετάδοσιν ποιήσασθαι, καὶ γένος τὸ ἔξ ωντέου ἀδελφοῖς ἵσον ἐπικρινέειν ἀρρέσι, καὶ διδάξειν τὴν τέχνην ταύτην, ἥν χρηζῶσι μανθάνειν, ἀνευ μισθοῦ καὶ ξυγγραφῆς, παραγγελίης τε καὶ ἀκροήσιος καὶ τῆς λοιπῆς ἀπάσης μαθήσιος μετάδοσιν ποιήσασθαι υἱοῖσι τε ἐμοῖσι, καὶ τοῖσι τοῦ ἔμε διδάξαντος, καὶ μαθηταῖσι συγγεγραμμένοισι τε καὶ ὀρκισμένοις νόμῳ ἵητρικῷ, ἄλλω δὲ οὐδενί.</p>	<p>Praeceptorem quidem qui me hanc artem edocuit, parentum loco habiturum, eique cum ad victimum, tum etiam ad usum necessaria, grato animo communicaturum et suppeditaturum. Eiusque posteros apud me eodem loco quo germanos fratres fore, eosque si hanc artem addiscere volent, absque mercede et syngrapha edoctrurum. Praeceptionum quoque et auditionum, totiusque reliquae disciplinae, cum meos et eius qui me edocuit liberos, tum discipulos qui Medico iurejurando nomen fidemque dederint, participes facturum, aliorum praeterea neminem.</p>
<p>Διαιτήμασί τε χρήσομαι ἐπ' ὀφελείῃ καμνόντων κατὰ δύναμιν καὶ κρίσιν ἔμήν, ἐπὶ δηλήσει δὲ καὶ ἀδικίῃ εἰρξειν.</p>	<p>Victus quoque rationem, quantum facultate et iudicio consequi potero, aegris utilem me praescripturum, eosque ab omni noxia et iniuria vindicaturum.</p>
<p>Οὐ δώσω δὲ οὐδὲ φάρμακον οὐδενὶ αἰτηθεὶς θανάσιμον, οὐδὲ ὑφηγήσομαι ξυμβουλίην τοιήνδε. Ομοίως δὲ οὐδὲ γυναικὶ πεσσὸν φθόριον δώσω. Αγνῶς δὲ καὶ ὁσίως διατηρήσω βίον τὸν ἐμὸν καὶ τέχνην τὴν ἔμήν.</p>	<p>Neque cuiusquam precibus adductus, alicui medicamentum lethale propinabo, neque huius rei author ero. Neque simili ratione mulieri pessum subdititium ad foetum corruptendum exhibebo, sed castam et ab omni scelere puram, tum vitam, tum artem meam perpetuo praestabo.</p>
<p>Οὐ τεμέω δὲ οὐδὲ μὴν λιθῶντας, ἐκχωρήσω δὲ ἐργάτησιν ἀνδράσι πρήξιος τῆσδε.</p>	<p>Neque vero calculo laborantes secabo, sed magistris eius artis peritis id muneris concedam.</p>
<p>Ἐς οἰκίας δὲ ὄκόσας ἀν ἐσίω, ἐσελεύσομαι ἐπ' ὀφελείῃ καμνόντων, ἐκτὸς ἐὼν πάσης ἀδικίης ἐκουσίης καὶ φθορίης, τῆς τε ἄλλης καὶ ἀφροδισίων ἔργων ἐπὶ τε γυναικείων σωμάτων καὶ ἀνδρών, ἐλευθέρων τε καὶ δούλων.</p>	<p>In quancunque autem domum ingressus fuero, ad aegrotantium salutem ingrediar, omnem iniuriae inferendae et corruptelae suspicionem procul fugiens, tum vel maxime rerum venerearum cupiditatem, erga mulieres iuxta ac viros, tum ingenuos, tum servos.</p>
<p>Α δ' ἀν ἐν θεραπείῃ ἡ ἴδω, ἡ ἀκούσω, ἡ καὶ ἀνευ θεραπηίης κατὰ βίον ἀνθρώπων, ἀ μὴ χρή ποτε ἐκλαλέσθαι ἔξω, σιγήσομαι, ἄρρητα ἡγεύμενος εἶναι τὰ τοιαῦτα.</p>	<p>Quae vero inter curandum, aut etiam Medicinam minime faciens, in communi hominum vita, vel videro, vel audivero, quae minime in vulgus efferri oporteat, ea arcana esse ratus, silebo.</p>
<p>Ὀρκον μὲν οὖν μοι τόνδε ἐπιτελέα ποιέοντι, καὶ μὴ ξυγχέοντι, εἴη ἐπαύρασθαι καὶ βίου καὶ τέχνης δοξαζομένω παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις ἐς τὸν αἰεὶ χρόνον. Παραβαίνοντι δὲ καὶ ἐπιορκοῦντι, τὰναντία τουτέων."</p>	<p>Hoc igitur iusiurandum si religiose observaro, ac minime irritum fecero, mihi liceat cum summa apud omnes existimatione perpetuo vitam felicem degere, et artis uberrimum fructum percipere. Quod si illud violavero et peieravero, contraria mihi contingant.</p>

² ed. Jones 1868. <http://www.perseus.tufts.edu/hopper/text?doc=Perseus%3Atext%3A1999.01.0252>

¹ https://la.wikisource.org/wiki/Hippocratis_iusiurandum

»Neque ... medicamentum letale propinabo«

Scripsit **Kurt Steinmann** philologus Helvetius¹,
in Latinum convertit LEO LATINUS



Hippocrates recusat dona Artaxerxis regis Persarum.
Pinxit Anne Louis Girodet de Roucy-Trioson a.1792.

Iusiurandum Hippocratis per saecula erat norma obligatoria, ad quam curatio medica dirigebatur. Quatenus hodie ordo medicorum professionalis adhuc dirigi potest ad normam bonorum fundamentalium, quae praecepta sunt ante duo milia quingentos annos?

Hippocrates, fundator medicinae rationali-empiricae, hodie praecipue nōtus est auctor iurisiurandi medicorum. Sed docti inter se dissentunt, num Hippocrates ipse hoc iurisiurandum scripsit. A.1969 *Ernestus Tabeling* palaeophilologus adhuc scripsit »fieri non posse, ut origo hippocratica ullius scripti demonstraretur argumentis irrefutabilibus, idemque valere etiam ad iusiurandum in »Corpore Hippocratico« traditum. Haec sententia reprobata est a *Carolo (Charles) Lichtenthaler* collegā eius in disquisitione iurisiurandi hippocratici

¹ «Ich werde nie ein tödliches Mittel verabreichen». Von Kurt Steinmann. p.58 sq. in: DIE WELTWOCHEN, Nr.26 – 29.Juni 2017. Hoc periodicum hebdomadale éditur Turico in urbe Helveticâ.

prolixâ: »Verisimile est iusiurandum esse opus Hippocratis ipsius«. Lichtenthaler putat iusiurandum illustre scriptum esse spatio, quod est inter annum 420 et 400 a.Chr.n. et aliter ac plerique investigatores contendit illud non iuratum esse tirocinio medico exeunte, sed ineunte.

In textu originali iusiurandum non plura complectitur verba quam ducenta quinquaginta. Hoc iusiurandum est textus sermonis prosaici artificiosi compositione atque elocutione pertractati et continet haud pauciores quam viginti figuræ rhetoricas, quarum inveniuntur plus sexaginta exempla. Ex analysi autem, quae sequitur, apparebit idem iusiurandum esse opus excellentissimum.

Invocatio deorum iurisiurandi

»Per Apollinem Medicum, et Aesculapium, Hygiamque et Panaceam iureiurando affîrmo et Deos Deasque omnes testor, me quantum viribus et iudicio valuero, quod nunc iuro, et ex scripto spondeo plane observaturum«

Quattuor dei eiusdem familiae invocantur huius ritûs iurandi testes, vades, iudices. Apollo invocatur medicus, cum sit deus purgationis, ordinis, harmoniae. Etiam eius filius Asclepius est deus sanandi, Hygia et Panacea sunt filiae Asclepii. Ambae nomina habent omininosa: »Valetudo« et »Sanatrix omnium«. Homo iurans pollicetur se iusiurandum planè observaturum esse, sed *quantum viribus et iudicio valuerit*.

Contractus tirocinii

»Praeceptorem quidem qui me hanc artem edocuit, parentum loco habiturum, eique cum ad victum, tum etiam ad usum necessaria, grato animo communicaturum et suppeditaturum. Eiusque posteros apud me eodem loco quo germanos fratres fore, eosque si hanc artem addiscere volent, absque mercede et syngraphâ edoctorum. Praeceptionum quoque et auditionum, totiusque reliquæ disciplinae, cum meos et eius qui me edocuit liberos, tum discipulos qui Medico iureiurando nomen fidemque dederint, participes facturum, aliorum praeterea neminem«

Sicut illa invocatio deorum iurisiurandi etiam hoc praeceptum mutatione historicâ magnam partem irritum factum est. Homo iurans promittit se praceptorum bene curaturum, parentum loco habiturum, eius filios apud se eodem loco ac germanos fratres fore. Cogitatio huius praecepti praecipua in iure iurando medicorum Genavensi, quod a.1948 conscriptum est effectu scelerum medicorum nacistarum, aliquatenus recepta est verbis quae sunt: »Collegae mei sint fratres mei«.

Praecepta moralia

»Victûs quoque rationem, quantum facultate et iudicio consequi potero, aegris utilem me praescripturum, eosque ab omni noxiâ et iniuriâ vindicaturum.«.

Medicus, quantum facultate et iudicio consequi poterit, oportet aegris utilem se praescribat – cfr locus illustris primi libri „Epidemiarum“ Hippocratis: »ut prosit aut saltim ne noceat« - necnon officio obligatur, ut aegros ab omni noxiâ et iniuriâ vindicet, undecumque veniunt, sive ex aegris ipsis sive ex aegrorum circumiectis. Hôc quoque loco promissum non valet nisi intra limites potestatis humanae.

»Neque cuiusquam precibus adductus, alicui medicamentum letale propinabo, neque huius rei auctor ero. Neque simili ratione mulieri pessum subditicum ad foetum corrumpendum exhibebo.«.

Euthanasiâ et abactione partûs medico strictê interdicitur. Nescio an de his duobus thematibus tempore hodierno vehementissimê litigetur, si agitur de modo agendi medicorum morali (praeter cogitationes, quibus disceptatur, an praeceptum oeconomicum legis foederalis, quae spectat ad assecurationem aegrotorum KVG, fiat fundamentum ethicum medicinae). Sicut mors voluntaria ita abactio partûs antiquâ aetate saepe fiebat neque puniebatur contemptu sociali neque poenâ iuridicâ. Ergo praecepta huius iurisiurandi moralia non sunt illius aetatis communia, sed eadem a paucis tantum medicis comprobabantur, a pluribus vix respiciebantur. Iurisiurandum hippocraticum non valebat iure publico.

»castam et ab omni scelere puram, tum vitam, tum artem meam perpetuo praestabo.«.

Iurejurando a medico postulatur, ut idem exemplo sit moribus suis vitâque suâ agendâ. Medicus agat spiritu puritatis et sensu probi atque aequi directus.

»Neque vero calculo laborantes secabo, sed magistris eius artis peritis id muneric concedam«.

Docti inter se dissentunt, utrum hōc praecepto tota chirurgia a muneribus medici excludatur an haec tantum sectio calculi laborantium, quae illâ aetate valdē erat periculosa ideoque videbatur discrepare a praecepto, quo medico omni ratione adiuvandum et fovendum est. Scilicet hanc partem iurisiurandi processu temporis irritam factam esse, sed fortasse adhuc valet sensu profundiore, quo non liceat omnia facere, quae ratione technicâ fieri possint.

»In quamcumque autem domum ingressus fuero, ad aegrotantium salutem ingrediar, omnem iniuriae inferendae et corruptelae suspicionem procul fugiens, tum vel maximē rerum venearum cupiditatem, erga mulieres iuxta ac viros, tum ingenuos, tum servos«.

Medico nullo modo licet privilegiis suis male abuti. Oportet abstineat ab omni iniuriâ voluntariâ, maximē a rerum venearum cupiditate, sine discrimine sexûs aut ordinis socialis. Primum in historiâ hominum verbis exprimitur cogitatio, qua homines patientes inter se sunt aequales.

»Quae vero inter curandum, aut etiam Medicinam minimē faciens, in communi hominum vitâ, vel video, vel audivero, quae minimē in vulgus efferri oporteat, ea arcana esse ratus, silebo«.

Hoc est totius historiae medicinalis testimonium primum officii medicorum tacendi. Officium tacendi hīc multo latius valet quam in medicinâ modernâ.

»Hoc igitur iusiurandum si religiosē observaro, ac minimē irritum fecero, mihi liceat cum summâ apud omnes existimatione perpetuo vitam felicem degere, et artis uberrimum fructum percipere. Quod si illud violavero et peieravero, contraria mihi contingant«.

Iusiurando exeunte votum faustum dicitur observaturis, infaustum dicitur irritum facturis.

Quantopere ratio medicorum technica et imago professionalis annis duobus milibus quingentis elapsis mutatae sunt, tamen cogitatio iurisiurandi hippocratici humana, quâ ars medicinalis subiecta est gravissimae responsabilitati morali, adhuc valet. In Helvetiâ annis proximis praeteritis commissio quaedam novum proposuit iusiurandum, quod aptum est ad condiciones nostrae aetatis. Hoc quoque iusiurandum conscriptum est secundum cogitationem Hippocratis, quâ officii medicinalis suprema lex sit salus aegrotorum.

Kurt Steinmann est unus e clarissimis omnium palaeophilologis, qui antiquos textûs graecos convertunt in sermonem theodiscum. A.1999 in domo editoriâ Diogenis Turicensi editum est opus, c.t. »Das Leben des Diogenes von Sinope«. A.2007 Steinmann in domo editoriâ *Manesse* publici iuris fecit novam versionem suam »*Odysseae*«. Homericæ. Eius versiones dramatum (»*König Ödipus*«, »*Antigone*«) emi possunt libellis Reclamianis editae.

Hippokrates: Der Eid des Arztes. Denuo theodiscê reddidit et publicavit Kurt Steinmann. Insel-Taschenbuch. 1996 (liber divenditus).

Novum iusiurandum medicorum Fundationis Helveticae „Dialog-Ethik“ legi potest in situ interretiali, qui sequitur: www.dialog-ethik.ch/der-eid

**SYMBOLAM
A
KURT STEINMANN
DE HIPPOCRATE SCRIPTAM
ET IN PERIODICO TURICENSIS
PUBLICATAM**

«*Ich werde nie ein tödliches Mittel verabreichen*»
DIE WELTWOCHE, Nr. 26 – 29. Juni 2017, p. 58 sq.

**IN LATINUM CONVERTIT
NICOLAUS GROSS
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

VINNETUUS

(**pars quarta**)

DE VENATIONE BESTIARUM FERARUM



Quia e nonnullis diebus non equitaveram, equus meus scutulatus laetē hinnivit, cum ei sellam imponerem. Idem se praestiterat equum optimum, ut iam in antecessum gauderem me hoc dicturum esse Henrico veteri meo fabro sclopetario.

Laeti equitabamus pulchro mâne autumnali, inter nos colloquentes de magnifico incepto ferriviario et de omnibus, quae nobis cordi erant. Leucus mihi dedit consilia necessaria, quae spectabant ad sectiones nostras inter se coniungendas et meridie stitimus prope aquam, ut frueremur prandio frugali. Tum Leucus unâ cum duce suo viario abequitavit. Nos autem paulisper cubuimus, ut inter nos confabularemur de rebus religiosis.

Falconinus enim erat homo pius, quamvis hoc aliis non panderet. Brevi antequam profecti sumus, ut rediremus, caput inclinavi ad aquam, ut manu haurirem et biberem. Tum autem per liquorem limpidissimum in fundo impressionem vidi, quae exorta esse videretur pede. Scilicet me admonuisse Samuelem de hac impressione. Qui impressionem attentē cum aspexisset, dixit:

»Ille Dominus Leucus rectē fecit, quod nos monuit de Indianis«. -

»Sentisne, Samuel, hoc vestigium exortum esse Indiano?« - »Ita, Indiani calceo mocassino. Quid sentis, Domine?« - »Nihil.« - »Phu ! Est autem aliquid tibi cogitandum aut sentiendum !« »Quid mihi aliud cogitandum quam Indianum hîc adfuisse ?« - Ergo nonne times?« »Non in mentem mihi incidit.« - »Saltim curas, sollicitaris?« - »Etiam non«. - »Ita. Ignoras Rubros!« - »Spero autem me eos cognitum esse. Haud puto eos aliter se gerere ac alios homines, scilicet eos tales esse, quales sint alii homines, adversarios enim adversariorum et amicos amicorum. Cum autem non sit propositum meum cum iis adversê agere, non proposueris de Rubris tractandis, certê res aliter, omnino aliter evenient«.

»Res certê non dependent a voluntate tuâ. Experieris, et opto, ne haec experientia tibi constet magno frustulo carnis humanae proprii corporis tui aut ipsâ vitâ«. -

»Quando adfuerit hic indianus?« -

»Circiter duobus diebus ante. Eius vestigia hîc in gramine videremus, nisi spatio huius temporis iterum gramina erexissent«.

»Estne nuntius?«

»Nuntius est carnis bisontum. Certê. Cum enim nunc pax sit inter gentes huius regionis, non est verisimile hunc nuntium esse bellicum. Qui homo erat verê incautus. Ergo verisimile est eum valdê iuvenilem fuisse«. -

»Peritus bellator non pedem impingit aquae, qualis haec est, ubi vestigium in fundo vadoso restet et per longum tempus videri possit. Tale facinus stupidum fieri non potest nisi ab homine stolido, qui talis sit neoceros ruber, qualis tu es albus, hihihih! Et neocerotes albi solent multo stultiores esse quam rubri. Hoc tene memoriâ, Domine!« Furtim risit et surrexit, ut equum ascenderet. Bonus Samuel libenter enim ostendit me a se medullitus diligi eo, quod declaravit me esse stultum.

Potuimus eâ viâ redire, quâ veneramus. Sed, qui eram gromaticus, mihi erat officium nostram viam cognoscendi. Itaque paululum viam infleximus et parallelam viam intendimus.

In eo vênimus in vallem satis latam, quae obsita erat graminibus sucidis. Colles, quibus hîc illîc circumdata erat, infra obsiti erant fruticetis, supra silvis. Vallis erat fortasse spatio dimidiae horae viariae et erat tam recta, ut perspici posset ab initio usque ad finem.



Paucis tantum gradibus progressi eramus in hac laetabili planicie demissâ. Tum Samuel equum sistens attentê prospexit.

»Babae!« edidit. »Ibi sunt. Rectê, ibi sunt. Sunt primissimi«.

»Qui?« interrogavi. –

Vidi fortasse duodeviginti puncta obscura longissimê a nobis remota, quae lentê movebantur. –

»Quid?« repetivit quaestionem meam alacriter in eppippio huc et illuc versans. »Pudeat te talia interrogare«. - »Ah rectê quidem, scilicet te esse neocerotem ingentem. Tales homines, qualis tu es, solent oculis apertis nihil videre. Velim te rogare, Domine maximê venerabilis, ut divines, quales res sint, in quibus pulchri tui oculi sint defixi«. –

»Ut divinem? Hem. Putarem eas capreas esse, ni scirem bestias huius generis ferarum agminibus convivere, quae non constent plus decem bestiis. Praeterea mihi deicendum est, si respicio distantiam, illas bestias, quantulaecumque ab hôc loco abesse videntur, multo maiores esse quam capreas«.

»Capreas, hihihih!« risit. »Capreas hic supra prope fontes fluminis Canadiani esse! Hoc quidem est specimen artis tuae. Sed aliud quod dixisti, non ita male excogitasti. Ita, maiores sunt hae bestiae, multo, multos maiores quam caprae!« -

»Ah, care Samuel, nonne sunt bisontes?« - »Scilicet bisontes esse. Bisontes sunt, veri et genuini bisontes migrantes, primi omnium, quos hôc anno video. Nunc scis Dominum Leucum rectê iudicasse bisontes

et indianos adesse. Indianorum tantum vestigium vidimus. Bisontes autem magnitudine, verâ magnitudine oculis videmus. Quid tibi videtur, ni fallor?«

»Sunt accedendi. –

»Scilicet. –

»Observandi. –

»Suntne observandi, verumne observandi?« interrogavit me penitus miratus e latere aspectans.

»Ita. Cum numquam viderim bisontes, eos velim hîc libenter subauscultare. –

Nunc nihil sensi nisi cupiditatem zoologi. Hoc parvus Samuel penitus non intellexit. Manûs complodens dixit:



»Subauscultare! Nihil nisi subauscultare! Quasi sis parvus puer curiosê rimam stabuli cuniculorum perspiciens, ut subauscultet cuniculos. O neoceros, quae mihi experienda sunt omnia! Equidem non observabo et subauscultabo eos, sed venabor eos, verê venabor.«

»Hodie, die Dominico?« -

Hoc non consideratê edidi. Ille autem verê irâ incensus me increpuit:

»Opprime ôs, Domine! Quo fiet caro, inquam, caro, et quam optima, ni fallor! Frustum lumbi bisontis etiam magnificentius est quam ille caelestis Ambrosius vel Ambrosianna, aut quomodocumque dicitur

illa res, quâ vixerint antiqui dei Graeci. Velle lumbum bisontis, etsi idem constabit meâ vitâ. Ventus nobis est adversus, quod est bonum. Hic paries vallis sinister septentrionalis totus est apricus, sed paries dexter ibi situs est umbrosus. Si in umbrâ versabimur, non praematurê a bestiis animadvertiscetur. Veni!« -

Perquisivit, num utraque fistula suae Lydiolae esset parata et egit equum sum ad parietem vallis australis. Hoc exemplum sequens perquisivi etiam ursicidale meum. Hoc conspicatus statim stitit equum suum interrogans:

»Visne etiam particeps fieri, Domine?« -

»Scilicet«. -

»Ne id facias, nisi intra spatum decem minutarum conculcari vis. Bison non est avis canaria, quae in digito ponatur et canere iubeatur. Priusquam ad feras tam periculosas adire debebis, oportuerit multae malae et bonae tempestates essent in Montibus Saxosis«. -

»Sed velim - - « -

At verbis quae fuerunt »Tace, et obtempera!« Samuel interrupit sermonem meum idque tantâ voce quantâ numquam antea usus erat mecum loquens. »Nolo morderi conscientiâ mortis tuae. Equitares in medias fauces mortis certae. Aliis temporibus fac quidquid vis, nunc autem non patiar refragantiam!«.

Certê ei respondissem verbis firmissimis, nisi inter nos fuisset ratio tam bona, ut tacerem et lentê post eum equitarem in umbrâ silvae.

Tum mihi explicuit nunc mitius loquens: »Video esse bisontes viginti. Sed adsta aliquando mille vel compluribus bisontibus super zavanam concursantibus! Prius vidi agmina decem milium aut complurium. Hic erat panis Indianorum. Albi autem hunc iis abstulerunt. Rubri bestiis feris pepercérunt, quia ex iis sibi nutrimenta fiebant. Occidebant tot, quot sibi erant necessariae. Albi autem in agminibus innumeris saeviebant tam quam beluae saevae, quae etiam saturatae pergerent occidere, ut sanguinem effunderent. Quanto spatio temporis transacto nullus restabit bison et brevi post nullus Indianus. Coram Deo lamentemur! Item se habent agmina equiferorum. Fuere agmina mille equiferorum et complurium. Nunc autem funditus admiramus feliciter conspicati centum equiferos congregatos!«

Interea, cum distantiâ quadringentorum ferê graduum ad bisontes accessissemus nondum ab iis animadversi, Falconinus equum suum stitit. Bestiae lentê valle adversâ pascebant. Longissimê processerat

vetus bison mas, cuius corpus giganteum admirans aspectavi. Certē fuit duo metra altus et tria metra longus. Tum nondum scivi pondus bisontis taxare, hodie dico illum pependisse triginta ferē centenaria. Qui fuit mirabilis massa carnis et ossium. Voluptuosē volutabatur in lacu limoso, quem modo invenerat.



»Hic est taurus dux«, Samuel susurravit. »Totius gregis bubalus est periculosissimus. Qui eum aggredietur, antea oportet testamento suo subscribat. Ego sumam iuvencam dextram posteriore loco stantem. Attende, quo ei mittam telum. Post scapulam in latus telum immittam obliquum medium in cor. Hic est optimus locus, immo unicus locus certus excepto oculo. Sed qui homo non insanus bisontem a fronte aggredietur, ut eius oculum percutiat! Siste hīc, et deprime te unā cum equis in fruticeta. Cum me viderint, et fugerint, efferata venatio praeter ipsum locum fiet. Ne umquam in mentem tibi incidat hunc locum relinquere, priusquam revenero aut te appellabo!«

Hic exspectavit, usque dum inter fruticeta me opprimerem et equitavit primo lentē et submissē. Meus autem animus mirē commotus erat. Quomodo occidentarii bisontem venarentur, hoc saepe lectitaveram. De hac re mihi nihil novi dici potuit. Sed magna differentia est inter chartam, cui tales descriptiones imprimantur, et regiones feras, in quibus tales fiant venationes. Hōc die primum in vitā meā bisontes vidi. Quales feras antea telo percusseram? Si comparavi illas cum iis bestiis giganteis atque pericolosis, nullam, omnino nullam bestiam telo percusseram. Ergo opinatus sis me penitus consensisse iussui Samuelis, ne particeps fierem. Sed facta est res

omnino contraria. Antea nihil volueram nisi observare et subauscultare. Nunc autem sensi impetum fortissimum, immo irresistibilem participandi. Iuvenculam aggressurum esse Samuelem – phu! – cogitavi. Ad talem rem faciendam non est animus necessarius. Verus vir eligit taurum quam robustissimum!«

Equus meus factus erat eximiē inquietus. Cum etiam numquam bisontes vidisset, ungulis saltavit et timens fugere voluit. Vix potui eum retinere. Tum nonne melius erat eum cogere, ut bisontem accederet? Animus meus non erat excitatus, sed deliberavi pectore tranquillo. Utrum hoc conveniret necne. Tum res decertata est momento temporis.

Samuel bisontes accesserat usque ad distantiam trecentorum graduum. Tum ille calcaria subdidit et equo admisso ad agmen equitavit ingentem bubalum praetervectus, ut veniret ad iuvencam, quam antea mihi signaverat. Quae mirata fugam oblīta est. Vidi Samuelem eam adeptum praeterequitantem telo percussisse. Ea commicuit et caput demisit. Num corrueret, non vidi. Nam visus meus alio aspectu occupatus est.

Prosiluerat bubalus giganteus. Oculis emissiciis Samuelem Falconinum aspergit. En, quam ingentem beluam! Caput eius crassum, cranium incurvum, frontem latam, cornua brevia quidem, sed fortissima incurva, iubam densam et hirsutam, qua circumdata erant collum et pectus. Effigies roburis genuini et immanissimi alto gibbere quasi perfecta erat. Ita, hoc erat animal perquam periculosum. Tamen eius aspectu excitatus cupivi facultatem humanam robure bestiario aestimare.

Voluine an nolui? Nescio. An equus meus scutulatus perequitavit? Qui e fruticetis cucurrit et voluit sinistrorum currere. Ego autem dextrorum eum rapui et bisontem marem advolavi. Bison me audivit ad se venientem versus me conspicatus caput demisit, ut reciperet equum et equitem cornibus suis. Audivi Samuelem omnibus viribus clamantem, sed non vacavi oculis ad eum dirigendis. Fieri non potuit, ut bisonti telum immitterem. Nam primum ille non stetit aptus ad ictum et secundo equus mihi noluit obtemperare. Pavidissimus, ut erat, media in cornua imminentia cucurrit, ut eundem cornibus impingeret, bison pedes suos posteriores ad latus iaciens et caput elevavit ictu ingenti. Omnibus viribus mihi contigit, ut equum scutulatum paululum aversarer. Volavit saltu magno super partem posteriorem bisontis,

cuius cornua eodem momento temporis proximē praeter pedem meum pulserunt. Saltus noster medium in lacum limosum nos duxit, in quo bison volutatus est. Quod cum vidi sem, pedes e stapiis extraxi. Feliciter hoc successit, nam equus elapsus est, ut erueremus. Quomodo hoc tam rapidē fieri potuerit, etiam hodie non intellego. Sed iam proximo momento temporis recto corpore steti iuxta lacum et adhuc manu firmē appressi sclopetum. Bison autem versus erat ad nos. Saltibus parum habilibus in equum insiluit, qui surrexerat fugitus. Tum bison latus mihi praebuit ad sclopetandum. Ego sclopetum genae apposui. Nunc primo mihi bombarda ursicidalis ponderosa serio casu periculoso erat probandum. Uno tantum saltu bison equum scutulatum attigit. Manuclam appressi. Medio in cursu stetit bison. An territus ictu an bene percussus, hoc nescivi. Statim ei secundum telum immitto. Lentē caput levavit, rugivit ita, ut per omnes artūs meos strepitus iret, titubavit hīc et illīc et corrueret.

Statim laetitiā altē iubilare volui de hac victoriā laboriosē partā, sed mihi erant facienda magis necessaria. Equus meus expers equitis dextrorum cucurrit, cum viderem Samuelem Falconinum in margine vallis ibi sitae abequitantem, quem bubalus persequebatur, qui non multo minor erat quam meus bison mas.

Oportet lector sciat bisontem excitatum non desinere persequi adversarium et velocitate equum aequare. Tum est tantā audaciā, tanto dolo, tantā pertinaciā, quantas antea abhorrere ab eius moribus omnis crediderat.

Itaque etiam ille bubalus equitem rapidissimē secutus erat. Ut eum evitaret, Falconino versūs erant faciendi audacissimi, quibus equus fatigaretur. Qui non tam diu sustinuit eos quam bison. Itaque auxilio opus erat quam urgentissimē. Non vacavi, ut perquirerem, utrum bison meus reverā mortuus esset necne. Velociter carricavi utramque fistulam bombardae ursicidalis et transsilui per vallem. Samuel haec cum vidisset, obvenire voluit mihi succurrenti et equum suum ad me versus arripuit. In hōc graviter peccavit. Nam tauro eum angustissimē persecuto equus nunc in transversum praepositus est. Vidi bisontem cornua demittere; uno ictu equum unā cum equite sublevavit et, cum praecipitasset, saevis et quatentibus ictibus non destitit in eos incursare. Samuel clamavit auxilio quantum potuit. Ego distantiā circiter centum triginta gradibus remotus eram nec debui uno momento temporis cessare. Securius quidem sclopetassem, si

propinquius, sed, si cessavisset, fortasse actum esset de Samuele. Etsi non bene percussurus eram bisontem, tamen speravi me assecuturum esse, ut belua ab amico aversaretur. Ergo steti, collineavi post scapulam sinistram et sclopetavi. Bison caput sublevavit motu quasi oboedientis et lentē circumversus est. Tum me aspexit et in me incursavit, sed velocitate retardatā. Ita effectum est, ut rapidissimē fistulam decarricatam iterum carriarem et paratus essem, cum belua ad maximum triginta gradibus a me distaret. Quae quamvis non iam currere posset, motus eius tamen cursatio lenta erat.



Sed cum caput altē demisso et sanguineis oculis crudelibus emissiciis me advénit. Propinquius et propinquius quasi fatum gravissimum, quod non potest retardari. Tum in genua procidi et sclopetum genae apposui. Quo motu effectum est, ut bison sisteret et caput paululum sublevaret, ut me melius et plenius videret. Quo factum est, ut oculi dolosi meis fistulis obverterentur. Misi unum telum in dextrum et alterum in sinistrum. Corpus bisontis breviter tremuit – tum belua corruit.

Prosilui, ut succurrerem Samueli, sed hoc non iam erat necessarium, nam vidi eum accurentem.

»Heus tu, euge, vivisne? Nonne es graviter violatus?«

»Omnino non. Tantummodo dextra coxendix dolet propter casum. Aut est coxendix sinistra, ni fallor. Non ita accuratê sentio«. –

»Et quid de equo tuo?« -

»Periit. Vivit adhuc, sed bison ei totum corpus evulsit. Ut eius dolores abbreviem, mihi erit occidenda misera bestia. Estne bison mortuus?«

»Spero. Tamen nobis perquirendus est«.

Hoc fecimus, ut nobis persuaderetur eum non iam vivere. Tum dixit Falconinus magno et profundo spiritu remisso:

»Heus! Quantum ille vetus et saevus taurus me vexavit! Vacca tenerius mecum egisset. Sed certê non est exspectandum tauros se gerere more Dominarum, hihihih!«

»Sed quare tam ineptus erat, ut animum induceret te aggredi?«

»Nonne hoc vidisti?«

»Non«.

»Vaccâ telo interfectâ potui equum sistere demum eo momento temporis, quo occurrit ad taurum. Quod bison aegrê ferens me petivit. Velociter quidem telum ei immisi, quod fuerat in Lydiolâ meâ, sed non videtur hôc telo sanior factus esse, nam praestitit amorem quandam erga me, cui respondere non possem, Tam vehementer me pulsavit, ut fieri non posset, ut iterum carricarem sclopetum meum. Abieci id inutile, ut manûs meae vacuefierent ad equum dirigendum, ni fallor. Miser caballus fecit quantum potuit, sed se non servare potuit«.

»Propter conversionem tuam ultimam fatalem. Equitandum tibi fuit per arcum. Eo equus servatus esset«.

»Servatus esset? Loqueris quasi veteranus. Hoc non exspectandum est de neocerote«.

»Quidni? Etiam neocerotes habent suum commodum«.

»Ita. Nam nisi tu me adiuvisses, nunc cubarem ibi tam percussus et discissus quam equus meus. Eamus ad eum«.

Invênimus equum miserrimê discissum. Intestina eius e corpore dilaniato exstiterunt. Anhelavit doloribus. Samuel sclopetum suum abiectum attulit, carricavit, telo veniae causâ equum percussit. Tum ei destrinxit habenas et ephippium et dixit:

»Nunc possum facere equum meum proprium ephippium dorso meo imponens. Hoc fit, si quis cum bove colliserit«.

»Ita. Unde nunc accipies alterum equum?« interrogavi.

»De hac re non sollicitor. Aliquem mihi capiam, ni fallor«.

»Equiferumne?«

»Ita, bisontes adsunt. Coeperunt ad meridiem migrare. Tum certē mox equiferi apparebunt. Nōvi hoc«.

»Licetne mihi adesse, si tibi aliquem capies?«

»Scilicet. Tibi etiam hoc est cognoscendum ...«



(Quinta pars sequetur)

FABULAM

C.T. »VINNETUUS (*Winnetou*)«

A CAROLO MAY

CONFICTAM

IN LATINUM CONVERTIT



LEO LATINUS

Exornatissime ac doctissime Director,

multas ago gratias, quod scriptum meum in Epistula Leonina edidisti.

Vobis volo subicere scriptum meum quod inscribitur: “**Quo modo legenda sit Mnemosyne et interpretanda secundum Platonis et Iordani Brunonis opinionem**”

Salutem Vobis dico

Johannes Teresi

Quo modo legenda sit Mnemosyne et interpretanda secundum Platonis et Iordani Brunonis opinionem

Saepe res mythis revelantur. Quid est memoria? Estne res, qua efficimus, ut tempus praeteritum ad mentem revolvatur?

Auxilium certissime dabit nobis mythus, qui in mentem revocat Mnemosynen, deam orphicam et Musarum matrem, cui datur secundum Platonem capacitas recordandi.

Dea haec ab Iove amata est sub pastoris effigie: Qui dei super Pieriae montibus amorem novem noctibus coluerunt, ex quo natae sunt novem Musae.

Cum memoriae potentiam Mnemosyne inveniret – ut narrat Diodorus Siculus -, qua re nomen suum rei cuique tribueretur, atque rebus abstractis quibus commercium humanum uteretur, non dissimilis usus fuit potentiae recordandi.

Pausanias narrat apud Beoticam regionem inveniri Trophonii antrum, per quod accedatur ad Inferos. Ibi duas scaturigines esse: alteram appellari Leten, res praeteritas obliterantem, alteram Mnemosynen, qua quodcumque videretur in hoc regno non caderet in oblivionem.

Non tamen immateriale fuisse donum Musarum Plato censebat, adeo ut ageretur de materia fere ductili, de cera quasi molli, cui, si collocaretur iuxta imagines mentis vel cogitationes ut speculum, imprimerentur incisurae. Unde dicimus imagines repercussas vel

repulsas esse repraesentationem vel phantasiam, quae est via per quam accedamus ad experientias interiores nostras.

Ita id quod Ulixes peregrinatus apud Calypsonem¹ moratus est, Neoplatonici interpretantur instar phantasiae, qua ligamina fortissima inteximus fictionibus a rebus realibus nos separantibus.

At signa cerae impressa non solum necesse erat, ut fictiones excitarent sed etiam recordationes (anamnesin). Ratione philosophica processus hic modus est, quo ad res perveniamus, variis acquisitionibus cognitivis mente discriminante selectis et superatis. Inde possumus distinguere memoriam passivam (quae iam servat praeteritum) et activam (quae discriminat et seligit).

Plato in Phaedro videbat recordationem convergere in unum seu congeriem sensionum perceptarum seu sigillum praenativum, quo anima quaedam impressa esset antequam lucem naturalem videret.

Ad considerationem psychologicam se refert Aristoteles cum imaginem mentalem (phantasma) dicit adiumentum esse ad revocationem praeteriti.

Non dissimilis cogitatio est psychologo Canadiano, cui nomen *Endel Tulving* (*1927), qui censet recordari significare agere tempus per mentem, itinerarium facere per mentem, quo, ut subiecti, capaces sumus texendi et struendi subiectivitatem nostram, quae est momentum et rerum praeteritorum textus et futurarum rerum projectio. Capacitas haec non reduci potest solum ad musculum cerebralem, ubi se agunt systemata mnemica, sed conscientia est (conscientia), quae est reductio ad unitatem subiectivam.

Si memoria est capacitas con-sociativa, inceptum connectivum e contingentia temporali trahitur. Ita *Ebbinghaus* (1850-1909) censebat res unam post alteram evenientes tendere ad consociationem.

Cum profectus sit ex experimentis stimulationum per tempus repetitis, ei persuasum est memoriam genitam esse hac continuatione per nexum momentorum cognitivorum.

¹ Calypso, Acc. Calypsonem PACUV.trag.403. LIV.ANDR.ap.PRISC.6,18. CAES.ap.QUINT.1,5,63.

At Iordanus Bruno Platonicus memoriam non solum putavit esse processum mechanicum.

Nam idem philosophus putavit mentem esse sedem anamnesicam et re-memorantem; ad hunc finem chartularum configurationem construxerat, adeo, ut imago quaeque configurata, cui coniungeretur nomen quodque, auxilium adferret adsociatione mediante capaciti rememoranti. Duos scopos enim Sectator Hermeticus (Jordanus Bruno) habebat: una ex parte creare ductilitatem mentis (quae erat talis qualis est cera), altera ex parte efficere, ut hac methodo Nomen Divinum vel Res Significativas facillime ei (menti) imprimerentur. Ita videmus Jordanum rursus locos Platonicos et Aristotelicos applicare velle, cum mentem considerat ceram et configurationum in mente impressarum auxilium confert.

Ita peregrinae vero non sunt considerationes hae, quae inveniuntur ubicumque, quia respondent Universalium Rerum petitionibus et confirmationibus. Nam, si aspicimus ad alias regiones orbis terrarum (Libanum, Syriam, Iracum), ubi domicilium fixerunt Pythagorei et Neoplatonici venientes ex Academia Platonica dissoluta anno quingentesimo vicesimo nono p.Ch.n., figuram geometricam diffusam invenimus incisam in aedificiis consuetis et sacris Prophetae religionis aedibus: pentagrammata, quae sunt stellae quinque verticibus praeditae.

Symbolice pentagramma figuram hominis reprezentat, cuius centrum regio cardiaca est. Bracchia et crura extensa (vertices superiores et inferiores) figurant res universas (kosmon). Regio cardiaca et regio mnemosynica, ubi manet et permanet Sigillum Regni, Verbum irrelatum et ineffabile.

Johannes Teresi

ECHUS VOCES

MARCUS CRISTINUS ITALUS BRIXIANUS

Marcus Nicolao s.p.d.

Care Nicolae,

tibi de cooptatione in Academiam Latinitati Fovendae ex animo gratulor. Bonum et iustum est societatem hanc doctissimam praemio insigni te afficere propter labores tuos leoninos, immo Herculeos, ad maiorem Latinitatis gloriam, quibus Romani sermonis fax, inter modernitatis fluctus lucernae in vento instar adhuc micans, novis flammis locupletatur. Epistulas lepide octavo quoque die a te conscriptas libens semper accipio et, cum negotiis vacem, lego. Miror peritiam tuam in vertendo, qua Germanicam narrationem re vera facis esse Romanam. Quotienscumque enim interpretationem verso vel ipse exaro in mentem mihi celeberrima verba Sancti Hieronymi veniunt: *Si ad verbum interpretor, absurde resonant: si ob necessitatem aliquid in ordine, vel in sermone mutavero, ab interpretis officio recessisse* (Hier. Epist. 57.5). Saepe, cum haec in animo meo volverem, more Pilati quaesivi, quid esset veritas; veritas autem in vertendo, mea quidem sententia, similis est veritati in Deo colendo, quia utraque omnibus hominibus non eadem est.

Optime vale!

NICOLAUS MARCO S.

Summas gratias, Brixiane carissime, tibi ago pro verbis benevolentissimis. Rationem meam Latine reddendi laudans me quoniam nunc comparasti cum ipso Sacrae Scripturae interprete, ego – similiter ac Horatius cum lyricis vatibus comparatus – “sublimi feriam sidera vertice”. Tu autem semper pancratice vale mihique perge favere. Medullitus te salutat Nicolaus.

STANISLAW TEKIELI POLONUS VARSOVIENSIS

D.03.07.2017 h.01:41

Stanislaus Nicolao spd

Gratias Tibi imprimis ago ob laborem novum de Vinnutuo, quae fabula mihi tam iucundast! Nonnulla tamen a Te excogitate vocabula non intellego. Ut sunt:

- atmoploeon (animal quoddam certe, sed quod?)
- scamnum cochleare (Anglice stool?)

Gratias in antecessum ago pro brevi explanatione. V.

LEO LATINUS STANISLAO TEKIELI

Die Lunae, 3. m.Iul. a.2017 7:59 PM

Care Stanislae, ***atmoploeon**, -i n. est navis vaporaria (angl steamer). Hoc vocabulum secundum exemplum neograecum est confictum. - **scamnum cochleare** appellavi instrumentum fabrile fabri sclopetarii, quod a Carolo May dicitur "die Schraubenbank". (cochlea, -ae f. non solum est animal molluscum, sed etiam instrumentum fabrile, theod. screw, angl. screw). - Haec hactenus, si volueris, mox certe plura. Medullitus te salutat Nicolaus.

STANISLAUS LEONI.

d.04. m.07. a.2017 h.01.09.

Gratias sescentas Tibi ago, care Nicolae. Atmoploeon Tuum solent nonnulli Latinistae navim vaporariam nuncupare, an fallor? Vale! Stanislaus.

LEO STANISLAO.

d.04. m.Iul. a.2017.

Liceat utrumque verbum adhibere, quia variatio delectat. - Ceterum, quia tu Polonus es amator fabularum Caroli May, libet ex te quaerere, quomodo interpres Polonus nomen indianum q.e. "Winnetou", reddat sermone suo. Notum est sermonem tuum patrium esse valde flexivum, habere multos casus declinationis. Quomodo polonice declinatur nomen "Winnetou"? - Linnartz in versione sua Latina adhibet formam parum aptam: declinat nomen personale secundum neutra declinationis quartae. Talis usus nullo nomine antiquo traditus est. Ergo, care Stanislae, rogo te, ut nomen "Winnetou" declines Polonice, i.e. in casus (septem?) varios. Habesne editionem versionis Polonicae ad manum? - Gratias in antecessum. - Vale semper. - Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

STANISLAUS LEONI.

4 Jul 2017 21:12:09 +0000.

Care Nicolae, deest mihi liber Vinnetui Polonice, sed pro certo Tibi dicere possum Winnetou [pronuntiatum: Vinetu, cum accentu in ultima syllaba, contra naturam nostrae linguae, quae fere semper in paeanultima accentum ponit] rarissimum exemplum esse nominum, quae Polonice non declinantur. Si vellemus ex.gr. sensum casus genitivi clarius monstrare, diceremus "sclopetum Winnetou, ducis Appasiorum" etc. Vale, Stanislaus.

LEO STANISLAO S.

Pro usu sermonis tui patrii explicato gratias tibi ago plurimas. Tamen puto quibusdam in contextibus commodius esse formam declinatam adhibere. Semper vale. L.L.

CLAUS PLANTIKO

Fri, 7 Jul 2017 09:52:57 +0200

Sehr geehrter Herr Groß, hier eine Anmerkung zu einer grammatischen Besonderheit, die Sie als genialen und fleißigen Übersetzer interessieren könnte, ebenso zu einer freien Übersetzung aus dem Griechischen, die plagiatsverdächtig ist, wenn Horaz nicht seine Quelle angab oder sie in der damaligen Oberschicht präsentes Allgemeinwissen war.

Im Lateinischen fand ich (selten) die Anschließung eines Akkusativobjekts an eine passive Verbform, Beispiele: Ennius, Iphigenia 248: "*Incerte errat animus, praeterpropter vitam vivitur*", Paulus, Dig. 46, 19, 2 g.E.: "*et ideo marito denegandum est adversus eum exceptionem ex persona debitoris*" und weitere Stellen im Corpus Iuris.

Offensichtlich behält das Verb hier auch in passiver Form noch so viel aktivische Bedeutung, daß es ein Akkusativobjekt an sich binden kann.

Könnte man Fontanes Ballade "*Lied des James Monmout. Das Leben geliebt und die Krone geküßt und den Frauen das Herz gegeben und den letzten Kuß auf das schwarze Gerüst - das ist ein Stuart-Leben.*" mit "*vitam amabatur et coronam osculabatur ...*" übersetzen, um sowohl den deutschen Akkusativ wie das Passiv zu erhalten? Horazens berühmte Ode 1, 9: "*vides ut alta stet nive candidum ...*" ist gemäß Bernhard Kytzler nach dem Trinklied Alkaios 338 gestaltet, von dem nur zwei Strophen überliefert sind, hier in Geibels Übersetzung: "*Zeus kommt im Regen, mächtig vom Himmel braust der Wintersturm, schon stockt der Gewässer Lauf im scharfen Frost, und kaum im Wetter hält der bewipfelte Forst sich aufrecht. Beut Trotz dem Eiswind! Schür auf dem Herd empor die Lohe, schenk süßpurpurnen Traubensaft, schenk reichlich und zum Trunk gelagert lehne das Haupt in die weichen Kissen.*"

Ein Plagiat kann natürlich auch in Form der Übersetzung begangen werden. Mit freundlichen Grüßen Claus Plantiko.

Sehr geehrter Herr Plantiko,

vielen Dank für Ihr Interesse an meinen Übersetzungen.

1). Zunächst zu Ihrer Fontane-Übersetzung ("*vitam amabatur et coronam osculabatur ...*"): Der sog. Akkusativ der Beziehung ist unter griechischem Einfluss entstanden (daher „accusativus graecus“). Er verbindet sich – nicht in der klassischen Prosa, sondern in der augusteischen Dichtung – mit passiven Verben. vgl. Raphael Kühner/ Karl Stegmann: Grammatik der lateinischen Sprache, 2.Teil: Satzlehre, Erster Band, Darmstadt (Wissenschaftliche Buchgesellschaft) 1976, S.287, 2: „*Der Akkusativ der Beziehung findet sich sodann auch bei passiven Verben; ...Das lateinische Passiv war ursprünglich ein Reflexiv, entsprechend der griechischen Medialform, die eine Tätigkeitsäußerung bezeichnet, welche von dem Subjekte ausgeht und auf dasselbe wieder zurückgeht.Der Gebrauch der passiven Verben mit dem Akkusative ist im Lateinischen im Vergleich mit dem Griechischen allerdings*

sehr beschränkt. Am häufigsten wird das Participium Perfecti so gebraucht; ungleich seltener das Verbum finitum. ... Die mediale Bedeutung, des mit einem Akkusativ verbundenen passiven Verbs überwiegt bei weitem bei folgenden Klassen von Verben, wenn auch der Übergang in die rein passive Bedeutung nicht selten ist: a) bei den Verben des An- und Ausziehens; der Akkusativ bezeichnet das Kleid oder etw. Ähnliches.... b) bei den Verben des Schmückens, Bekränzens, Verhüllens, Bedeckens u. dergl. und deren Gegenteil; im Akkusativ steht der Körper oder ein Körperteil.... 5. Rein passive Bedeutung liegt dagegen fast durchweg vor bei den Verben des Schlagens, Stoßens, Verwundens und Fesselns, wenn sie in passiver Form mit dem Akkusativ verbunden werden...“

Nun verbinden Sie in Ihrer Fontane-Übersetzung „amare“ in einer Passivform mit einem Accusativus graecus („vitam“). Bei Kühner-Stegmann kann ich dazu keine Parallele finden, zumal „amabatur“ ganz und gar inkonzinn zum folgenden „osculabatur“ ist, was ja als Deponens ein gewöhnliches Akkusativobjekt bei sich hat („coronam“). Mein Fazit: von einer so gesuchten Exotizität in der neulateinischen Dichtung möchte ich Ihnen abraten. Neuerungen sollten wir nur im Bereich des Wortschatzes vornehmen (zur Wiedergabe neuerer Begriffe), nicht aber im Bereich der Grammatik.

2). Zu Horazens Nachahmung des Alkaios: Eine gute Übersetzung eines Gedichtes ist immer eine Nachdichtung, und das ist eine eigenständige künstlerische Leistung. Als Plagiat würde ich so etwas auf keinen Fall bewerten. Viel Vergnügen bei der Lektüre des neuesten Löwenbriefes (EL 137) wünscht Ihnen Nikolaus Groß.

MARKUS HÄBERLE

2017-07-04 T09:37:17+0200

Markus Avenariolus Leoni Latino salutem.

Quae de verbis Iesu Christi et Pilati scripsisti, longa contemplatione digna sunt.
Gratias maximas tibi ago.

Quod mihi iterum et iterum in mentem venit, cum verba evangelii legi: Illa lingua communis (koiné), quae tam simplex videtur omnibus, qui studio Homeri, Pindari, Herodoti, Thucydidis, Platonis et aliorum se dediderunt, fortasse simplicitate sua ipsa non facilis est intellectu, quod duplia et multiplica occultat.

Quid ergo Iesus vere respondet ad quaestionem Pilati, num sit rex? Dicitne "TU, Pilate, dicis me regem esse, sed non sum, immo sum is, qui venit, ut testimonium vobis veritatis perhibeam"? An dicit "Tu dicis, ego vere sum rex"? Verbum primum sententiae est "sy". Quod Pilatum auctorem illius significare videtur. Fortasse sententiae sequenti "de" inserendum est: ego de eis touto ...?
Milites inscriptionem INRI cruci affigunt: num quia arbitrantur Iesum se regem dixisse?

Mea sententia Iesus se regem esse non dixit; ille filius et servus hominis, qui discipulorum pedes lavat, qui pro salute omnium, qui eum secuti sunt, crucem suscepit et mortem infimorum obiit, rex non esse vult.

Certe doctiores de his doctiora dixerunt atque scripserunt, quae mihi magistro linguarum antiquarum et historico occlusa sunt. "Tolle lege": sustuli legi.

Sis salvus semper et felix!

LEO AVENARIOLO SAL.PL.DIC.

Valde gaudeo, care Avenariole, quod pausâ longiore interpositâ novo epistolio Latino nos dignatus es. Profecto illustrissimum illud colloquium Iesu et Pilati simplici quidem formâ est, tamen sensu aenigmatico. Tecum addubito versionem theodiscam unitariam, quae est: „Du sagst es, ich bin ein König“. Assentior tibi dicenti hunc sensum non quadrare ad Iesum filium et servum hominis, qui discipulorum pedes lavat... Ergo in brevi hōc colloquio non sōlum quaestio veritatis est spinosa. Sed de his fortasse alias. Utinam tibi placeant etiam argumenta Epistulae Leoninae novissimae: ibi invenies Iusiurandum Hippocraticum. Haec in praesenti, mox certē plura. Medullitus te salutat Leo Latinus.

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipue disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non éditur in domunculā Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicē »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeratas, quibus operam dedit illis creandas.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR .	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE- TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAЕ	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenma tt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptman n	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	--	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	_____	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	A	938905-28-9	T.LIVIO DESCRIPTA						
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM TRICESIMAM SEPTIMAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

die Saturni, 15. m.Iul., a.2017

Nicolaus Groß

LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>